



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput XXIV. De miraculo, quod contigit tempore sui regiminis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

cibum transmittere consuevit, & refectioe peracta illud, quod in cibis superfluum fuit, statim per eum, qui cibum attulerat, ad Monasterium reportabatur. Talimodo prædictis Laicis omnino dempta fuit occasio, ne quivis eorum in privato de cibis superduis contra disciplinarem vitam seorsim se reficerent, cum placeret.

CAPUT XXIII.

Quomodo detractores corrigebat specialiter.

TAntus amator pacis exstitit præfatus Prior, ut si quis de subiectis suis coram se de alio Confratre conquestus erat, ne per huiusmodi quærelam major oriretur dissensio, illò penes se retento, qui conquestum fecerat, statim alterum, qui reus videbatur per nuntium adduci fecit, quibus in unum convenientibus iusserat Prior, ut is, qui præviè privatim contra alium quærelam deposuerat jam coram ipso positus idipsum, quod antea dixerat, publicè fateretur, & quem Prior in altercatione tali ibidem reum deprehendit, hunc impunitum saltem verbò abire non permisit; talique industioso modo præfatus Prior dissidentes suos subditos ad charitatis & veritatis lineam reducens singulos tanto timore percussit, ut rarò aut nunquam aliquid de altero loqueretur in privato, quod in publico minimè probare posset.

CAPUT XXIV.

De miraculo, quod contigit tempore sui regiminis.

JAm quamdã rapinam prædictis Regularibus sub regimine dicti Prioris illatam ex certa scientia præsentibus annexere dignum iudicavi: Militaris quidam de Castro Wewelsburg multitudine subditorum suorum stipatus quadam vice cum sex curribus sæna domûs B. MEINULPHI de Campis, qui vulgari lingua Doctseetfeld nuncupatur, ad suum claustrum duci fecit. Quod dum Laicis dicti Monasterij fuerat nuntiatum, tale damnum suo loco inferri dedignan-

dignantes arreptis defensorijs armis ad ulciscendum se de injuria, portas Monasterij exire decreverunt, enim verò Prior domus eodem tempore in Choro psallens Divinum Officium peragebat, intelligensque ab uno, quid Laici agere vellent, celerem ad eos gressum fecit, illisque de periculo suorum corporum timens humili voce persuasit, ne propter præfatam causam Monasterium exirent, asserens, se quosdam ex Fratribus illuc missurum, quorum verbis præfatus militaris inceptum spoliū non compleret, sed supradictus militaris malitiā prævalens raptum fœnum castro suo inferebat, hujusmodi itaque fœno per manum violentam sic ablato Dominus DEUS eidem militari volens innotescere, quantum sibi displiceret, sudores & labores pauperum servorum suorum auferri per rapinam, excessumque ejus abire nolens impunitum contigit, ut postquam præfata fœna castro suo illata fuerunt, optimus ejus equus, cui insidere solitus erat, sano ac robusto corpore sese lædens improvise vitam morti sociârit. Sicque factum fuit, ut qui aliena lætus suis bonis admiscebat, proprium equum multum dolens amiserit.

De quinto Priore Monasterij B. Meinulphi.

Quia jam de quinto Priore Monasterij B. MEINULPHI pertractandum est, notum fiat posteris, quod Anno Domini 1427. Venerabilis ac devotus Hermanus von der Stecke electus est in Priorem prædicti Monasterij, homo grandævus, ætate senex, multis moribus adornatus.

C A P U T XXV.

Quomodo hic Prior in quietâ vita suos rexit subditos.

Fuit is satis internus, ac æterna bona totis animi votis concupiscens, ideoque & Cellita bonus ac laudabilis habebatur. In cella itaque sua sedens libros scripsit, & sic in quiete ac pace cordis Domino DEO ipsum juvante non minus subjectos suos tam Fratres, quam Laicos in disciplinari vita peroptime rexit, quam